

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Elegia panegyrica, quae ortus et vita [...] s. Benedicti recensentur, [...] 20 Mart. a 1717 in conventu memoriter est recitata- Cod. Ettenheim-Münster 343

Benedictus <de Nursia>

[S.l.], 1717

Elegie panegyrica, quae ortus et vita [...] s. Benedicti recensentur [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-132210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-132210)


Elegia panegyrica

Quâ ortus, et vita, et sava cum Vitis
 certamina, et obitus, et gloriosissimus
 ad astra triumphus Sanctissimi Patri-
 archæ nostri BENEDICTI
 recensentur,

Quoq;
~~Abbas~~ indignissimo quodam Sanctissimi
 Patris huius Filio in Monasterio S. Etto-
 nis professo composita, et 20^{mo} Martii
 A. 1717. in Conventu ad prandium
 publicè memoriter est
 recitata.



Von Fortmann
 Weber?



M
L
Ma
M
Se
Su
L
G
s. Tale
f. B
Tale
C
Que
G
Qui
C
Qui
G

2
Exordium cum propositione
generica.

Magnum magna decet. Hinc iam mea carmina Magnum
Quendam presentent, dicere magna jussat.

Magna igitur referam, magnamque decentia pandam,
Miranda, et blanda, et rara, et amara canam.

Sed quis conceptum, quisnam salientia metra
Suggeret, aut quisnam verba modoque dabit
Queis valeam dignos in carmina promere cantus?

Queis quoque de Magno magna referre queam?

5. Talem etenim cantabo virum, quo maior in orbe

! Baptistam excipio: vix fuit, est, vel erit.

Talem, qui primis Cœli annumeratur amicis
Cui, quid in orbe latet, vota precisque libat.

Quem timet infernus ceu durum fulminis ictum

Cuius styx solo nomine quassa gemit.

Cui tot mortales, tot claustra, tot antra, tot urbes

Cui tot sylvae, tot compita, totque freta

Cui totus mundus se tot debere fatetur

Grates, quot grandis gramina terra gerit.

10. Talem inquam cantabo virum, quem secula nulla
Non iam cantabant, quemque futura canent.

Propositio specialis.

En dicam: Benedictus erit, pro cuius honore
Nostra licet rauca plectra movebo Lyra.
Huius natales, vitam, certamina, mortem,
Atque reportata abs hoste trophaea canam.
Tandem fortunatum illum memorabo triumphum
In quo per miram scandit ad astra viam.
Hec ergo aggredior narrare: sed ante profundo
Poplite te Numen flagito confer opem!

15. Tuque mihi indocto sacra Virgo Maria faveo
Suscipe conatus Diva Thalia meos!
Quaeso vudi faveas Vati Sanctissime: ^{= tutor} ~~Propositor~~
Subsidiumque meis fer Benedicte metris!
Nostris Conobii faveas Amplissime Praesul
Tuque Patrum, et Fratrum docta corona fave!

Historia.

Hunc mundum intravit Benedictus tempore, quo vix
Europa fauces foedior esse potest.

Heretica hanc scabies vexabat, et undique falsam
 simplicibus visa est imposuisse fidem.

20. ^{haud paucas} ~~hanc~~ hac peste infererat oras,
 Cordaque sic orco non numeranda dedit!
 Nobilis Italia, et cum magno Hispania partu
 Hoc sub damnato congemuere iugo.

Insuper: horrendum auditu: pars plurima fœvit
 Impia sacrilegis thura cremare Diis!

Et quod peius erat, quis non lacrymabile dicat
 Divinus cultus tunc procul exul erat.

Ipsi Christiades astuto demone capti
 Hæc iam ceperunt impietate rapi!

25. Verbo: tunc mundus, caro, et Orcus septrâ tenebant,
 Pulsus ubique fuit Religionis amor!

Et talem faciem ploranda Europa gerebat

Cum primam lucem Nursius ille puer
 Aspexit. Puer hic misero vix nascitur orbi
 Jam Aÿx insidias, arma, doloſque parat.

Verum ut ea advertit Benedictus, carbasa vertit
 Et Sanctâ stygios efugit arte dolos.

Urit maturè quod vult urtica manere:
Struxit maturum Nursius ille focum,
30. In quo maturè divino accensus amore
Prima iuventutis scelra cremaanda daret.
Vix septennis erat, iam caelica pectore versat
Confilia, et iamnum non nisi Sancta placent.
Eius iam laeum volvebat dextra libellum
Ex quo diversas fundit ad astra preces.
Jam saepe abstrusum sese furatur in anglm
Et tacitum ad Superos est meditatus Ave!
Ah quoties largos oculis stillantibus imbres
Vitae perfectam posuit ab Aethere viam!
35. Ah quoties tunc iam nodoso fune tenellum
Dilacerat corpus, ne caro turpis ovet.
Non clarus generis splendor, non sanguinis alti
Progenies Pueri prerogativa fuit,
Quin per sepe inter miseros sit visus egenos
Et cunctis largas pro stipe ferre manus.
O Sanctum Puerum!

4

Eius certamina.

Sit modò pace tuâ gens Romula venia dictis
At non nisi vera cano pace Quirinae tuâ.

Nullius fasces, nullius Sceptra tyranni

Nulla tuum fregit Roma tiara caput.

40. Consulis haud ullus licitor tua Jura subegit,

Nam vincis qui te vincere Roma volunt.

At Solus Benedictus erit, quem vincere tentas,

Qui te ceu muscam vincere Roma valet.

Ille tuos Solus potuit contemnere fastus

Ille tuas solus vicerat Hector opes.

Atque hunc famosum non vi non ense triumphum

Obtinuit, Solâ vicerat Ille fugâ.

Et sic dum superat Romam quæ totius Orbis

Regina est, subigit quidquid in orbe fuit.

45. Hanc generose Puer cepisti nectere palmam

Cum necdum tenero fluxit ab ore coma,

Quid fiet, si annos concedant astra viriles,

Si iam nunc toto Victor ab orbe redis?

Hoc fiet: victo necdum contentus ab orbe,
Post mundi palmas infera regna petes.
Infera regna petes toti dominaberis Orco
Ut Stygis ac Orbis Victor ad astra voles.
En que praedixi: letor: verissima dixi,
Nam vix hunc puerum contigit esse virum,
50. Undique iam Stygius nigri Dominator averni
Iusserat in sanctum tela parare virum.
Tela parata adsunt, ingentia proelia miset
Cerberus, ac omnes tela vibrare iubet.
At nihil effecit, verum quot tela vibravit,
Tot sunt in proprium tela retorta caput.
Seu peteret campos tecum Benedicte patentes
Seu tibi fallaci tenderet arte dolos,
Tot victore tuo nituerunt vertice lauri,
Hostica quot sevens Tartarus arma movet.
55. Quare Musa refer palmam de millibus unam
Ex una ~~haec~~ reliquas discere mille licet.

Dum videt incastrum Pluton sua tendere tela
 Et sibi tam validum semper adesse Virum,
 Non tulit ulterius proprio concurrere Marte
 Sed contra hunc flavam suscitavit Invidiam.
 Sedibus è Stygius vocat hanc Cacodemon, et illi
 Talia suaviloquo gutture verba facit:

Implorat Pluton Invidiæ
 auxilium.

Inter postremas nunquam numeranda Dearum
 Tu Lachesi nobis Tisiphonèque prior.
 Go. Arma ubi nostra cadunt hæc semper vincimus arte,
 Sternere quos labor est, pellimus Invidiã.
 Berge citò, en cordis Florentius intima pandit,
 Huius corda sibi, ianua aperta patet.
 Berge, age chara Dea, en Mystes Florentius ille est,
 Quem variam in partem mens scelerata rapit.
 Lumina iam dudum in Benedictum torquet iniqua
 Noxia iam dudum corde venena coquit.

Non labor ullus erit facilis tua infra capefret
Suade illi que vis, verba sequetur opus.

65. Pectore iam tenerum versat Florentius ignem,
Certè iterum in cineres, ni foveatur, abit.

Adiice materiam, flatu disperge favillam,
Subdeque folliculos, quantus hic ignis erit!

Sentiat hunc hostem Benedictus, credat amicum,
Nomine amicitie fraus simulata valet.

Si quid prestiterit tua subdola, certaue virtus,
Si effectum dederis, premia digna feres.

Talibus Invidiam totus stimulabat avernus,
Talia Suaviloquo Pluton ab ore ~~pro~~ dedit.

Invidia suadet Florentio, ut ille
S. Benedicto inferret necem.

70. Dixit, et illa volat, liquidumque per aëra lapsa
Presbyteri tacito lumina curare subit.
Nulla nota est, reteggit flamas sub corde latentes,
Inque malam flamas cogit abire crucem.
Ille oculos livore feros contorquet in orbem
Et gladio sanctum vult iugulare virum.

Holla! lex vetat arma inquit, non vincimus armis. 6

Efficiet virus, vis quod aperta negat.

Sic ait, et spurco multum tentatus ab ovo
Pepima sub nitido pane venena coquit.

Apostrophe ad Florentium.

79. Siccine quæis animam mortales ducimus omnes

Dona Sacra Cereris fas temerare putas?

Siccine quem panem verbis in Numinis artus

Vertere Suevisti, nunc (a.) Aconita facis?

Isthoc crede Ceres nulli tangenda prophano

Zua vita est alius, mors tibi tristis erit.

Desine funestas infelix condere technas

Neque mala Sancto velle nocere Viro!

At surdo canitur, pergit mala Bestia, pergit

Sacrilegam missio pane parare necem.

80. Verum non latet hæc Benedictum condita pestis

Feralisque cibos hinc procul esse iubet.

Attamen haud potuit Mystæ sedare furorem

Fraus detecta, malos nec minuisse dolos.

Nb. a. Aconitum fin Wolfkraut herba
venenatissima.

Peteriota parat, quàm sint tua gramina (b) Colchis,
Aspectusque sui, quèis Basilisæ neas.

Ante oculos Juvenum quorum respererat ora
Forma pudicitiae, Virgineusque decus,
In facinus malè suada Cypris sua retia pandit,
Vertat ut in foedos corda pudica fues.

85. Hinc profus nudo, et formoso corpore, septem
Turba puellarum (: noxia turba Viris ! :)
Confertis ludit manibus, choreasque per orbem
Ducit, et incautos tollit ad alta pedes.
Ut sic inspectans Benedicti sacra Juventus
Istis ad Venerem vi raperetur apris.
Verùm quamprimùm hoc ma-spurcissima scorta videbat,
Totâ laudando mente furore fremens
Ite procul Benedictus ait, procul ite venenum,
Ite inquit vestras vana putredo vias.
90. Dixerat, inque pedes iuvenum comitante catervâ
Se dedit, et turpis non fuit illa fuga.

b. Colchis Medea patria est, et sumitur
pro Veneno.

7
Sic Venerem stravit, sic invida tela fugavit,
Sic hoste à vino vina Trophæa struit.
Discite mortales quibus armis Cypridis arvens
Fas sit, et Invidiam qua Superare manu.
Has et mille alias retulit Benedictus ab Orco
Virtutum palmas. Has aliâsque tulit.
Omnes quis numeret? Nemo. Hinc è millibus istas
Ne sim prolixus, sit retulisse satis.

Eiusdem obitus.

95. His admirandam Benedicti finio vitam
Eius nunc paucis ultima fata cano.
Cum iam grandævus Supremo à Numine inaudit
Quod meta ærumnis sit statuenda suis
Mox fratribus notam mortis prænuntiat horam
Hæc pia pro fausto fine monenda monens:
O Berchari inquit mea vitæ scena peracta est,
Hoc unum rogo vos: Diligite, et lat erit.
His dictis modico febrium corruptus æstu
Et postquam almorum tota caterva fratrum

100 Emeritum Patrem sacras portasset ad aedes,
Ultima dat Magno vota precisque DEO,
Et fumâ Angelicis pietate repletus ab Escis
Erectis manibus lumina ad Astra levans
Stans obit. *Obstuspeo!* quis enim unquam talia vidit?
Sic moriens mundi vana valere iubet.

Iam rogo Magne Pater patere, ut tibi pro monumento
Pauca sepulchrali in marmore sculpta canam
Carmina, quae posthac tua digna Epitaphia fiant
Ut benè, quis fueris, mundus et Astra fiant.

Epitaphium.

105. *Stare* Viatores vivi, nam et mortuus hic stat.
Iste, ut natura, sic quoque mortis erat
Victor. Forſan vultis nomen? Vir fuit. An plus
Ille fuit quam vir? dico plus ille fuit.
Hic Bene = vir dictus fuit, hoc non competit omni,
Nam malè qui vixit, Vir maledictus erit.
Quod verò hic **Benè** = Vir toto ſibi dictus in orbe
Hoc ſua dicta docent, hoc ſua facta probant.

Non opus est statuam Victori ponere. Quare? 8

Cum stans Ipse sibi splendida sit statua.

110. Nescisque an stando sit mortuus, an moriendo
Staret, tam firmus post sua fata stetit.

Stando Magnanimos debere mori unus aiebat,
Sed nullus fecit. Vir Benedictus erat

Qui mirè hoc solus potuit, quem nullus in orbe
Hactenus aequavit, vix quoque talis erit.

Ite Viatores, et puram ducite vitam

Atque à defuncto discite stando mori.

Triumphus quo S. Benedictus
in caelum ferebatur.

Quid video, quid se nostris obtutibus infert?

Quid sibi vult patuli gloria tanta poli?

115. Quis novus aethereum conscendit Victor Olympum?

Quis sacer ad Superos currus eburnus abit?

Non hū edomito Promius Gangete quadrigam
Lyncibus et geminā tygride Victor agit.

Cedite Romani Ductores cedite Graij

Maiores maiori Victor ab hoste redit

Cedite Scipiades gemina duo fulmina belli

Vestro qui Lybicas Marte domatis opes.

Mille canant alii tua magne Auguste Trophæa

Ausonios arcus mille canant alii;

120. Somnia sunt. Alios ego nunc memorabo triumphos

Ob quorum pompam lunæque Solque stupet.

En superas Victor scandit Benedictus ad arces,

Victa Stygis forti sub pede monstra premens.

Illico Victori vastus referatur Olympus

Purpureisque rubet semita sparsa rosis.

Moxque suas Phœbus demittit ab æthere stellas

Sidas ut excipiant sidera prisca novum.

Tot nitidos ignes tunc illuxisse per orbem

Ære totque faces irradiasse ferunt,

125. Ut, si isthæc à te tot lumina visa fuissent,

absereris: Cælum nil nisi flamma fuit.

Eia triumphantem iam ornemus carmine currum

Eia triumphalis carmina currus amat.

Gemmea splendentes decorant carpenta corallo,
Mixtaque sanguineis aurea fersa rosis.

Aureus in curvae temo, aureus axis, et auro
Curvatura rote chrysolitoque nitet.

Penniseri biuges mordent gemantia frona,
Ostro quos Lybico palla retincta tegit.

130. In medio curru Benedictus, et aureus ipse
Fulgenti trabecâ conspicendus erat.

Huic trabecae circum subtexta est aurea tela
Artis opus rarum, talis in arte color,
Qualis ad auroram retilat, cum surgit ab undis
Titare, et clarum nuntiat esse diem.

Sic nostri Herois dives lucefcit amictus,
Sic micat è tyrio murice tincta toga.

Et fersa è viridi præcingunt tempora lauro,
Victricesque umbrat florida palma manus.

135 Cernite nunc quales agat hoc victoria turmas
Ante et post currum; talis enim ordo fuit:
Primò infernarum furiarum exercitus ingens
Præcepit tetris vocibus æthra replens,

At
Pelli
es.
tophea
triumphat
supet.
ad arces,
remens.
lis.
felles
rum.
lem
rent,
lent,
uit.
currum
mal.

In cuius medio graditur Dux Lucifer; hic, cum
Invictum Heroem vincere non poterat,
A sociis millenis funditur ictibus, et sic
illi pro palmâ pœna pudorque ~~ostendit~~.
Cerberus hunc sequitur, qui audaciter ante quadriga
Evomit horrendas per sua colla faces.

140. Isti succedit mœstos demissa capillos
Fatales spirans Invidia ore minas.
In curru ad Patris plantas Roma ipsa iacebat
Fractaque sub pedibus signata superba locat.
Post currum sequitur devicta Superbia, cui se
Pro socia plangens caeca Libido dedit.
Hanc tristi vultu comitatur iniqua Voluptas
Quae toties Sanctum nisa necare Virum.
Tunc lento illacrymans incedit Acedia gressu
Post quam carnalis Vincita Cupido venit.
145. Has Gula, Avarities, Odium, et bruta Ira sequuntur
Omnes Magnanimi premia Vita Ducis.
An nunc spectatis spolia, et de Dite superbo
Exuvias, pompæ ferula longa sacra?

Hæc Patris auratam sunt monstra secuta quadrigam ¹⁰
Hæc sibi victrici sub pede strata tenet.
Hos autem infensos miseris mortalibus hostes
Nec face, nec ferro, sed pietate sua
Fortiter extinxit, semperque occumbere fecit.
Sic quoque nos Scelerum vincere monstra docet.

Epilogus cum Invocatione

110. Sed iam chære Pater diram demerge phalangem
Carcere et æterno claude sub antra Stygis.
Hæc etenim dum ꝑ victa iacet, tamen usque minaces
Intorquens oculos proelia sœva fremit.
Incubit hæc nobis etiam prostrata timorem
Nec vacuos gelido nos finit esse metu.
Hinc rogo te monstra hæc rursus ad tartara trude
Non decet ut talis scandat ad astra cohors.
Jam sat victa tuum monstra ornare triumphum,
Jam sat sunt curram pompa secuta tuam.
115. Nosque tuum potius curram pia turba sequamur,
Simulque invicti fulgida pompa Ducis.
Scande ergo ò Heros, ò Scande ad Numinis aulas
Hanc merito Victor scandis ad astra viam.

Scande et lectus ab i coeli ducendus ad axes
Nectaris ad fontes ambrosiâsque dapes.
En tibi in occursum nitido DEUS ipse Olympo
advolat, et suavi voce ter infit: Ave.
Scande ergo: at fragiles ex alto respice mentes,
Et fac nos nostro posse placere DEO.
160. Nos tenet ambiguus gravis hic cum Marte palastra,
Confer opem, ni vis, ut tua turba ruat.
Arma Pater natis, lauram precor Agida mitte
Firma tuâ stabunt pectora nostra manu.
Contra nos semper raptor vigil exubat orus
Non statuas natos sub stygis antra rapti!
Sed stimules potius similes tentare triumphos
Ac hostis forti frangere tela manu.
Iam votis finem facis, atque hoc chronicon addo:
ObeCro Magne tVI s Da tVa facta seqVI!
165. Da Pater aeternum tecum pœana canamus
Ultima felicem cum dabit hora diem!

Ceui
In honorem DEI, B. V. Mariae ac invictissimi
De mundo, carne, ac diabolo Victoris Benedicti.